

caput ipsius. Quæ consuetudo, si legitima vere reperitur maxime ob rationes allatas, esset observanda, cum ipsa sit optima Legum interpretis, textu expresso in l. *Si de interpretatione* 37, ff. de Legibus cap. *Cum dilectus* 8, de consuetudine. Alias non esse recedendum a dispositione Ritualis Romani sine distinctione inter Cadaver laici et Sacerdotis, absolute semper collocantis Subdiaconum cum Cruce ad Caput Defuncti. Ubi enim Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; L. *Non distinguemus* 32, ff. de recept. Arbitr. L. *Præses* 3, ff. de Officio Præsidis. L. *De pretio* 8, ff. de publiciana in rem action. cap. *Quia circa* 22, de privileg. Maxime quia si Rituale id voluisset, expressisset, quod enim voluit, expressit, arg. cap. *Inter corporalia* 2, § *Sed neque istud*, de translation. Episcoporum. cap. *Ad audientiam* 12, de decimis, cum similibus; præsertim cum occurri possit indecentiæ et deformitati vertendi terga Crucis Altaris, si Subdiaconus se sistat non humeris, sed solo tergo versus Altare, ut tradit cit. Cæremonial. Mediolani impressum 1744, in cap. 17, num. 608, ad instar dispositionis dictæ Rubricæ 13. Missalis ob id statuentis celebrantem aliquantum ex parte Epistolæ; et concurrente ad id dispositione Cæremonialis Episcop. loco cit. et auctoritate allegatorum Auctorum pro prima opinione.

(42. Crucem ante se deferendi mos a Summo Pontifice ad ejus Legatos primum, inde ad Patriarchas, Primates, et paulatim ad omnes Archiepiscopos dimanavit, etiam per loca suæ Provinciæ exempta; et ad aliquos privilegiatos Episcopos; Benedict. XIV, de Synodo Diocæs. lib. 2, cap. 6, num. 2 et 3, ex pluribus ibi erudite adductis; Vide supra a num. 13 ad 34, ubi afferuntur varia Decreta ad rem.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(43. Crux adhiberi in Ecclesia solet veluti insigne quoddam, per quod unum ab altero corpore distinguitur, ita ut ex unicitate Crucis unicitas corporis, et versa vice ex multiplicitate Crucium multiplicitas corporum inferatur, ut post alios affirmant Pignatell. cons. Canon, t. 4, cons. 30, num. 7, optime Ursaja discept. Eccl., t. 1, part. 1, discept. 26, n. 39, et seq. et rursus, tom. 5, part. 2, discept. 26, n. 11, et sequent. Rot. in Mantiss. ad Card. de Luca, lib. 3, decis. 23, n. 32, et decis. 28, n. 14.

(44. At id non est perpetuum: in una enim eademque Ecclesia quum repugnet existentia plurium distinctorum corporum, uti post celebre consil. 5. Calderin. de his, quæ fiunt a Prælatibus firmavit Rot. cor. Molin. dec. 1220, num. 49. (45. Delatio plurium Crucium in Ecclesiasticis functionibus ad denotandum non plura corpora ipsius, sed plures ejus prærogativas adhibita dici debet, Confer Vivizan. de Rit. Santiss. Cruc. Roman. Pontific. Præferend. libr. 2, cap. 12.

(46. De hisce vero Ecclesiis, quæ Ecclesiasticis functionibus plures Cruces deferre solent, consule Claud. Joli in tract. gallico

edito de Schol. Episcop. cap. 8, tum Edmund. Marten. in tractat. de Ecclesiast. discipl. in divin. recit. offic. cap. 20, § 9, tum alios.

(47. At prætereunda haud est Neapolitana Ecclesia. Hæc ab antiquo in nonnullis Ecclesiasticis functionibus duas Cruces deferre solita est, alteram Canonicorum dictam, alteram nuncupatam Hebdomadariorum. (48. Excitata vero ab Hebdomadariis præsidio hujus Crucis, quæ ab ipsis denominationem accepit, prætentione, quod Corpus ii efformarent a Canonicis distinctum, Sacra Congregatio Particularis destinata a sanct. memor. Benedicto XIV, causa mature discussa, die 15 Novembris anni 1752, sententia definivit, ambas Cruces Capituli esse, adeoque non efformare Hebdomadarii Corpus a Canonicis distinctum. Et sequuta sententiam hanc Sacra Congregatio Rituum postea die 2 Decembris anni 1753, rescripsit, teneri Hebdomadarii in Ecclesia Neapolitana servare omnia illa quæ Mansionariis aliarum Ecclesiarum præscribuntur a Cæremoniali Episcoporum, tum ab Apostolicis Constitutionibus.

ADDITIONES CASINENSES.

(49. A saluberrimo signo Crucis omnes horas Canonicas auspicare solemus. Nam dum Sacerdos sacrarum precum initio divinum postulat adiutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus, orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant, qui oderunt nos, et confundantur, quoniam Deus psallentes adjuvat et consolatur. Bona de div. Psalm. c. 16, § 5.

(50. Quanta sit virtus, quanta antiquitas hujus sacratissimi Signi colligi potest ex innumeris locis SS. Patrum aliisque Scripturibus Ecclesiasticis. S. Clemens Romanus 1, const. Ap. c. 16, signum Crucis appellat infractum signum, quia sicut signum rem custodit, cui appositum et impressum est, ita Crux munitissima rerum omnium custodia est. Dionysius Areopagita docet signum crucis ad omnia Sacramenta adhiberi. Justinus Martyr qu. 118 sive auctor *quæstionum* apud ipsum a diebus Apostolorum usum ostendit emanasse, quo Christiani dextera manu seipsos et alia signo Crucis obsignant. Et Tertullianus de cor. milit. c. 3, scripsit: « Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. »

(51. Crux pectoralis variis appellatur nominibus; et quidem Phylacterium (sive Phylaterium) ut scribit Gregorius M. ad Theodolindam Longobardorum Reginam: « Excellentissimo autem filio nostro Adulwaldi regi transmittere curavimus Phylacteria, id est, Crucem cum ligno S. Crucis Domini, » etc., Epist. lib. 12, 7. *Φυλακτήριον* vero, i. e. Conservatorium, erat quædam chartula quæ divinas ordinationes continebat, et in frontibus Hebræorum ac in eorum sinistro brachio

habebatur, sic adimplere credentes eas; Macri *Hierolæx*. Dicebatur etiam *Excolpium*, uti Baronius, ann. 811, refert eam appellasse Nicephorum, Episcopum Constantinopolitanum. Crux pectoralis vocatur ab Innocentio III, ex eo quod ornet pectus. Ritum gestandi Crucem Pectoralem non admodum antiquum esse existimandum tenemus cum Saussay *Panopl. Episcop.*, l. 4, et Cardinali Bona *Res. Liturgic.*, l. 1, c. 24, 10, cum si leant de eo omnes veteres scriptores rituum Ecclesiasticorum. Cui sententiæ Catalanus Proleg. in Pontific. Rom. c. 13, n. 1, adhærere nequit, dicens: « Cum enim Christiani fere omnes seu Orientis seu Occidentis Crucem, vel ipso Crucis ligno vel Sacris Reliquiis munitam collo appensam gestarent, haud dubium, quin et illam non modo Episcopi sed et Clerici etiam deferrent. » Referunt quidem nonnulli verba Gregorii Nazianzeni Carmin. l. 2. Carm. 21. *Namque Crucem in membris, medioque in corpore gesto...* sed ex his verbis non patet, eum loqui de Cruce Pectorali ornamento Episcopi celebrantis; nam Crucem secum ferre commune erat omnibus Christianis etiam laicis et mulieribus. Bona l. c. Quod ex Orientalis historiæ monumentis colligi potest; nam Gregorius Nyssenus in vita sororis suæ S. Macrinæ testis est, eam consuevisse Crucem vitali instructam ligno gerere collo appensam. Saussay. Morem eundem apud Latinos etiam propagatum fuisse nulli dubium esse potest. Legimus enim in lib. 7, Epist. 127. Gregorium M. Crucem misisse Recharedo Wisigothorum regi in qua lignum Dominicæ Crucis inerat. Hæc aliaque similia exempla neutiquam obstant, quominus Pectoralis Crux proprium Episcoporum insigne sit; nec enim sequitur ex eo, quod alii Crucem a sinu pendulam gestarent, hanc ex numero Episcopatum ornatuum submovendam, non enim gestant eam eodem ritu ac forma, neque pari jure aut honore. Saussay *Panopl.* Crux Pectoralis revera successit Rationali summi Sacerdotis in veteri Lege. In hac siquidem figura salutari includuntur omnium beneficiorum insignia atque monumenta, quæ Christus in ipsa Cruce pro nobis cum sanguinis sui profluvio misericorditer effudit.

(52. Quod autem Episcopus spectat, egregium est, quod refert S. Gregorius Turo-nensis Episc., lib. 1, de gloria Martyr. c. 11. Ait enim, se Crucem auream ad collum gestasse, in qua erant Reliquiæ Beatæ Virginis, Sanctorum Apostolorum, et B. Martini, cujus ope incendium extinxit, quod aqua tolli non poterat.

SUMMARIUM.

1. Culpa alia est Theologica, et alia est Juridica, et quæ sit utraque. — 2. Culpa Juridica potest esse homini omnino involuntaria, et omni peccato vacans coram Deo. — 3. Culpa Juridica est triplex, scilicet, lata, levis, et levissima. Quæ sit Culpa lata. — 4. Quæ sit Culpa levis. — 5. Quæ sit Culpa levissima. — 6. Culpa Juridica valde differt a casu, et dolo.

(53. Cum nec prisca Sacramentorum libri, nec antiqui præsertim Scriptores Liturgici, qui ornatus Sacros Pontificum aliorumque Ministrorum pertractarunt ad eorum significationes mysticas enucleandas, cum ipsi inquam numquam Pectoralem Crucem attigerint, clarissime patet, nulla tum eam lege, vel consuetudine generali usurpatam fuisse, adeo ut labente sæc. XIII. in potestate Episcopi esset Crucem pectoralem deferre vel non. Sane, recte docet Domin. Georgius l. 1, de Liturg. Rom. Pontificis c. 19, a Romanis quidem Pontificibus, qui pectorali Cruce jam pridem uti sunt, inter Episcoporum peculiariora ornamenta fuisse adscriptam. Ibidem.

(54. Pectoralem Crucem specialem fuisse Romani Episcopi ornatum, docet Innocentius III. P. M. l. 1, *Mysteriorum Missæ* c. 53, singulas enim Papæ vestes ad Altare explanans, pro Lamina illa aurea, quam solus Pontifex Summus gestabat in fronte, subjicit Crucem a Collo catenulis suspensam, ut et ipsa laminæ loco esset summi Pontificis propria. Tradit deinde Durandus l. 3, *Rationalis* cap. 9. Pontificem imponendo sibi et deponendo Crucem ipsam exosculari, ad denotandum, quod Christi passionem, quæ per illam significatur, credit et confitetur, quodque ad eandem repræsentandam in officio Missæ se parat. Ibid.

(55. Crucem Pectoralem inter solemnia Pontificum ornamenta adnumeratam, non legimus ante Rupertum et Papam Innocentium III. Fuisse tamen in potestate Episcopis, eam Crucem pectoralem adhibere vel non, testatur Durandus in suo Pontificali, ubi narrans indumenta Episcopo solemniter celebranti per ordinem necessaria, inter eadem ita memoratur: « Crux pectoralis, si quis ea uti velit. »

(56. Crux in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria V in Cæna Domini, Feria VI in Parasæve præfertur a Subdiacono diverso a ministrante, amictio Tunicella, aut Planeta plicata, prout exigit sacræ actionis qualitas: die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum a Subdiacono Missæ S. R. C. in Alexandrina 6. Maji 1826.

(57. S. R. C. decrevit tolerari et permitti posse, quod lignum Sanctissimæ Crucis, aliaque instrumenta Dominicæ passionis, peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disjunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit. 27 Maji 1826.

CULPA.

— 7. Casus quid sit. — 8. Dolus quid sit. — 9. De Jure naturæ non est obligatio restituendi pro danno sine Culpa Theologica illato. — 10. Neque etiam de Jure positivo (præscindendo a contractu) est in Conscientia obligatio reparandi damnum sine Culpa Theologica illatum, nisi accedat sententia Judicis. — 11. Sic etiamsi nulla intervenit Culpa Theologica, ordinariè non est in Conscientia obligatio ante sen-

sententiam Judicis compensandi damna quæ quis causat in officio v. g. Tutoris, Consiliiarii, Confessarii, Judicis, Advocati, Medici, etc. — 12. Post sententiam Judicis est obligatio in conscientia ad reparandum damnum etiam sine culpa Theologica illatum. — 15. Sic etiam potest ex contractu esse obligatio in conscientia reparandi damna causata absque Culpa Theologica. — 14. De casu fortuito, cum sit extra

(1. Culpa alia est Theologica, alia est Juridica: Culpa Theologica est offensio Dei, id est peccatum, sive sit mortale, sive veniale. Culpa juridica est omissio diligentiae debitæ, ex qua omissione sequitur aliquod damnum proximo. (2. Culpa juridica potest esse homini omnino involuntaria, et omni peccato vacans coram Deo; Qui enim v. g. ex naturali oblivione librum sibi commodatum in publico loco reliquit, unde secuta est ejus amissio, Culpam juridicam commisit, licet coram Deo nihil peccaverit, seu nullam Culpam theologicam commiserit. (3. Culpa Juridica est triplex; scilicet lata, levis, et levissima. Culpa juridica lata est omissio illius diligentiae, et circumspeditionis, quam communiter, et ordinarie adhibere solent homines ejusdem conditionis, ideoque, re ipsa adjunctam habet positivam negligentiam, ut si quis librum commodatum sibi relinquit in loco publico, si inde surripiatur, tunc dicitur periisse Culpa lata ipsius commodatarii; Et talis Culpa lata, licet dolus proprie non sit, tamen in Jure æquiparatur dolo; l. 1, ff. *Si mensor falsum*, ibi: «Lata culpa plane dolo comparatur.» (4. Culpa levis est omissio illius diligentiae, et circumspeditionis, quam homines diligentiores suæ conditionis adhibere solent, ut si quis rem sibi commodatam relinquit in cubiculo, vel area non obserata, si inde surripiatur, tunc dicitur periisse Culpa ipsius commodatarii; quia homines diligentiores solent claudere cubiculum, vel arcam. (5. Culpa levissima est omissio illius diligentiae, et circumspeditionis, quam homines diligentissimi, et prudentissimi suæ conditionis adhibere solent, ut si quis rem sibi commodatam relinquit in cubiculo, quod quidem clausit, et putavit clausum, sed non tentavit manu, an esset bene obseratum, et revera non erat bene obseratum, si inde surripiatur, tunc dicitur periisse culpa levissima ipsius commodatarii, quia homines diligentissimi post clausum ostium solent manu tentare, an sit bene obseratum.

(6. Culpa Juridica valde differt a casu, et dolo. Culpa enim juridica, quæcumque illa sit, sive lata, sive levis, sive etiam levissima, cum sit omissio alicujus diligentiae, et circumspeditionis, quam homines diligentes, vel diligentiores, vel saltem diligentissimi talis status, et conditionis adhibere solent, potest caveri diligentia, et circumspeditione humana. (7. Casus vero est rei inopinatæ eventus, qui neque ab homine diligentissimo prævideri, vel impediri potest; Unde de casu fortuito, ut de terræmotu, rapina, impetu prædonum, grandine, fulmine, et similibus damnum causantibus nemo tenetur, quia est extra humanam providentiam, textu

omnem humanam prævidentiam, et providentiam, regulariter nemo tenetur, nisi in tribus casibus, et qui sint. — 15. Pro generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia afferuntur hic tres potissimum Regulæ passim a Doctoribus assignatæ. — 16. Quænam sit prima Regula. — 17. Quænam secunda. — 18. Quænam tertia. — 19 ad 22. Culpa dividitur in latam, levem, et levissimam.

expresso in leg. *Contractus*, § *Animalium*, ff. de Reg. Juris, ibi: «Animalium vero casus, mortes, quæcumque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præstantur.» (8. Dolus autem dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio, ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alterum adhibita; l. 1, § *Dolus*, de dolo malo.

(9. De Jure vero naturæ non est in conscientia obligatio restituendi pro damno sine ulla culpa Theologica illato; Ita Lessius, Vasquez, Tanner., Lugo, Tamburinus, Dicastill. de restit. d. 3, a n. 7. Illsung. tom. 4, d. 3, n. 4. Sporer. tom. 4. cap. 2, n. 42, et alii passim. Et ratio est, quia quod fit sine culpa, moraliter imputari non potest; In foro enim conscientia non potest esse obligatio restituendi propter injuriam, nisi in foro conscientia commissa sit injuria, atqui ubi nulla adfuit culpa theologica, nulla fuit in foro conscientia injuria, ergo, etc. Cum autem Doctores præsertim antiquiores docent culpam juridicam latam inducere in conscientia obligationem restitutionis, ideo sic docent, quia culpa lata juridica, seu civilis ordinarie est etiam simul theologica, ordinarie enim late culpabilis, omittens scilicet diligentiam et circumspeditionem communiter ab hominibus suæ conditionis adhiberi solitam, circa res proximi, advertit, vel saltem advertere debuisset damnum proximi secuturum, et hoc ipso theologicæ fit culpabilis.

(10. Neque etiam de Jure positivo (præscindendo a Contractu) est in conscientia obligatio reparandi damnum sine ulla culpa theologica illatum, nisi accedat sententia Judicis; Ita Molina, Vasquez, Lugo, Haunoldus tom. 2. numer. 172 et 176. Esparsa qu. 26. Illsung. loc. cit. num. 5. et alii passim. Et ratio est, quia Leges civiles ejusmodi pœnales ut l. Inst. et ff. *Si quadrupes* 2, Inst. ff. et Cod. de noxalibus actionibus l. 1, et penult. ff. de his qui effuderint. l. 5, statuitur, 4, Inst. et ff. ad l. Aquiliam; et alia Leges hujusmodi, quæ possent contra nostram assertionem adduci, essent nimis duræ si ante sententiam Judicis obligarent ad exequendam in se ejusmodi pœnam propter actionem non imputabilem in conscientia ad culpam; ergo dicendum est tales Leges non intendisse obligare ante sententiam Judicis: Et dato etiam quod forte intendissent obligare ante sententiam Judicis, dicendum est non esse in eo rigore receptas, aut per usum contrarium contra eas præscriptum esse; quia, ut experientia constat, nemo est, qui propter talem Culpam mere juridicam sponte sua restituat, adeoque signum est,

eas Leges non obligare ante sententiam Judicis. (11. Sic etiam si nulla intervenerit culpa theologica, ordinarie non est obligatio in conscientia ante sententiam Judicis compensantis damna, quæ quis causat in officio v. g. Tutoris, Consiliiarii, Confessarii, Professoris, Judicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Chirurghi, Pharmacopola, etc. Ita Vasquez, Lugo, Esparsa, Haunoldus, Tamburinus, Lessius lib. 2, c. 7, d. 7. Sporer, tom. 2, tract. 4, cap. 2, num. 240. Illsung., loc. cit., num. 34, alique plures. Et ratio est quia admittentes ejusmodi officium, vel curam, ordinarie non intendunt se obligare ad culpam juridicam levissimam, aut levem, sed tantum ad communem diligentiam, et circumspeditionem, cavendo dolum, aut culpam latam, quæ conjuncta sit cum culpa theologica, et non aliter; alias si in conscientia censerentur ipsi tales obligari, nullus reperiretur, qui vellet similia officia tanto onere assumere.

(12. Post sententiam Judicis est obligatio in conscientia ad reparandum damnum etiam sine ulla culpa theologica illatum, *Est communis*; et ratio est, quia alias sententia Judicis esset frustranea, damnificans enim posset non parere Judici, et sententiam eludere; Tum quia non obtineretur finis Legum, qui est major cautela, diligentia, et circumspectio pro evitandis hujusmodi damnificationibus. (13. Sic etiam potest ex contractu esse obligatio in conscientia reparandi damna causata absque ulla sua culpa theologica. *Est etiam communis*; Et ratio est, quia potest quis ex contractu aliquo suscipere in se omne periculum, ita ut, si res quomodocumque pereat, se obliget ad restitutionem; sicut enim potest fieri contractus assecurationis, quo assecurans vult accipere in se onus damni etiam pro casibus fortuitis, in quibus non est ulla sua culpa; a fortiori id fieri poterit pro casibus non fortuitis, in quibus est saltem Culpa aliqua juridica ex parte sui. (14. De casu autem fortuito cum sit extra omnem humanam prævidentiam, et providentiam, regulariter nemo tenetur, nisi in tribus casibus, scilicet: Primo, quando culpa sua fuit data occasio tali casui fortuito, seu sua culpa præcessit casum fortuitum, ut cum quis equum commodatum usque Placentiam, duxit Mutinam, et in itinere Mutinam versus raptus est a latronibus, tunc enim culpa præcessit casum, et commodatarius sua culpa dedit occasionem tali casui fortuito: Secundo, quando intervenit pactum, quo quis se obligavit ad casum fortuitum. Tertio, quando quis v. gr. commodatarius fuit in mora culpabili reddendi equum commodatum, et per hanc periit apud ipsum commodatarium, tunc enim commodatarius tenetur etiam de casu fortuito, dummodo tamen non esset etiam equus commodatus periturus

apud dominum: Habentur hi tres casus expresse excepti in c. unico, de commodato, ibi: «Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; Licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari;» et concordat textus clarus in l. *Si ut certo* § *Nunc videndum*, ff. de commodato, et l. 1. Cod. eod. 1, et l. *Contractus*, ff. de Regul. juris.

(15. Pro generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia juvat hic adducere tres potissimum regulas a Doctoribus passim assignatas, et desumptas ex variis utriusque Juris textibus, et præsertim ex l. *Si ut certo* § *Nunc videndum*, juncto Bartolo in Summario ff. commodati. (16. Prima regula est; Quando contractus fit in favorem solius recipientis, uti fit in commodato, tunc ipse recipiens tenetur non solum de culpa lata, et levi, sed etiam de culpa levissima, textu expresso in cit. c. unic. de commodato, ibi: «Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur,» et concordat textus, apertus in l. *Si ut certo*, § *Nunc videndum*, et l. *In rebus*, § 1, ff. de commodato, et l. *Contractus*, ff. de Regul. juris, et l. 1, § *Is quoque*, ff. de actionibus, et obligationibus. (17. Secunda regula est; Quando contractus fit in favorem solius dantis, uti fit in deposito, tenetur recipiens, seu depositarius solum de dolo, et culpa lata; argum. lib. 1, C. *Depositum*, et citat. loc. *Si ut certo*, § *Nunc videndum*, cum similibus.

(18. Tertia regula est; Quando contractus fit in favorem utriusque, scilicet, dantis, et recipientis, ut fit in pignore, venditione, locatione, etc., tunc præstatum solum in culpa lata, et levi, non autem culpa levissima; arg. cit. l. *Si ut certo* § *Interdum*, ff. commodati.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(19. Solet communiter culpa dividi in latam, levem, et levissimam. (20. At plerique errant in statuenda Culpa lata, Culpa levi, et Culpa levissima. (21. Nec perpetua est ea, quæ ab Auctore num. 115, et plur. seq. tum ab aliis inculcatur doctrina de præstatione Culpæ pro modo utilitatis perceptæ secundum leg. 5, ff. *Commodati*; Stryk, in usu moderan. Pandect. lib. 13, tit. 6, § 12. Bohemer. in introd. in jus Digest. lib. 13, tit. 6, num. 17. (22. Latior vero est hæc materia, ut intra cancellos hujus additionis coarctari queat. Vide pro re nata Jacobum Gothofredum in leg. 23, ff. de Regul. Juris et Frider. Esaiam Puffendorf in commendatione peculiari, eaque præstantissima de *Culpa*, Lemgovia 1741 typis excusa.

CULTUS DISPARITAS.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 1, a num. 91, ad 97.

CULTUS SANCTORUM.

SUMMARIUM.

1. Pro Sancto aliquem venerari non licet sine licentia Papæ, etiamsi in vita fecisset miracula. — 2. Sanctus proprie, et stricte captus quis sit. — 3. Beatus proprie, et stricte sumptus quis sit. — 4. Canonizatio proprie, et stricte sumpta quid sit. — 5. Beatificatio proprie, et stricte capta quid sit. — 6. Duplex est tam Canonizatio, quam Beatificatio, una scilicet formalis, et altera æquipollens. — 7. Quæ sit Canonizatio formalis. — 8. Quæ sit Canonizatio æquipollens. — 9. Quæ sit Beatificatio formalis. — 10. Quæ sit Beatificatio æquipollens. — 11. Beatificatio, et Canonizatio non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter, ad n. 12. — 13. Adducitur, et solvitur instantia. — 14. Affertur, et solvitur alia instantia. — 15. Secundum plurimos Classicos Doctores est de Fide, quod Papa non possit errare, non solum in Canonizatione, sed etiam in Beatificatione. — 16. De facto solus Papa potest aliquem Canonizare, vel Beatificare. — 17. Quamvis antiquitus plurimi Sancti post felicem eorum obitum communi Episcoporum, et populorum consensu tales declararentur, et colerentur; hoc tamen semper de auctoritate expressa, vel tacita Summi Pontificis. — 18. Et a tempore Alexandri III, usque in præsens potestas, tum Canonizandi, tum Beatificandi soli Romano Pontifici privative quoad omnes alios fuit reservata. — 19. Qui fuerit primus Pontifex, qui solemniter Canonizationem celebravit, ad n. 20. — 21. In Canonizatione non semper fuit observatus idem ritus, et forma solemnitatis, qui solet observari nostris hisce diebus. — 22. Item nec semper fuit observatus idem ritus, et forma in Beatificatione. — 23. Assignatur in quo potissimum consistat solemnitas Beatificationis. — 24. Tam ad Beatificationem, quam ad Canonizationem duo copulative requiruntur, scilicet excellentia Virtutum in gradu heroico, et miracula. — 25. Miracula, non solum in vita, sed præcipue post obitum patrata, sunt necessaria ad Beatificationem, et Canonizationem alicujus. — 26. Quot Miracula requirantur, et sufficiant, tum ad Beatificationem, tum ad Canonizationem. — 27. In Beatificatione, et Canonizatione Martyrum non solet fieri tam exacta inquisitio de probitate vitæ, et miraculis tempore vitæ peractis, ac sit in Beatificatione, et Canonizatione Confessorum. — 28. Antiquitus nomen Martyris, et Confessoris promiscue sumebatur, sicque idem erant Martyres, et Confessores. — 29. Progressu tamen temporis, ut fit etiam nunc, Ecclesia consuevit distincte nomen Martyris, et Confessoris usurpare. — 30. Hodie non proceditur ad Beatificationem, et Canonizationem, nisi elapsis quinquaginta annis ab obitu Beatificandorum, et Canonizandorum. — 31. Possunt tamen intra id temporis confici processus per Ordinarios, vel per Delegatos Apostolicos, et in Sacra Congregatione discuti de eorum validitate. — 32. Supra complementum dicti temporis solet interdum ob justas causas a Rom. Pontifice concedi dispensatio, et adducuntur exempla de variis similibus dispensationibus. — 33. Sine dicta Pontificia dispensatione est omnino observanda suprascripta Lex a Pontifice Urbano VIII, constituta de lapsu quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei, et assignatur motivum talis dilationis. — 34. Adoratio, seu Cultus quid sit. — 35. Adoratio, seu Cultus alia mere est Civilis, seu Politica, et alia Sacra, seu Religiosa, et quæ sit utraque. — 36. Adorationis Sacræ, seu Re-

ligiosæ tres sunt species, nempe Latria, Hyperdulia et Dulia. — 37. Adoratio, seu Cultus Latriæ quæ sit. — 38. Adoratio, seu Cultus Hyperdulie quæ sit. — 39. Adoratio, seu Cultus Dulie quæ sit. — 40. Dicta triplex adoratio, seu cultus alia est absoluta, et alia respectiva, et quæ utraque sit. — 41. Cultus alius est publicus, et alius privatus, et qui sit uterque. — 42. Cultu publico coli possunt omnes Sancti, et Beati, cum aliqua tamen differentia, quæ assignatur. — 43. Circa Beatos nondum Canonizatos attendenda sunt Brevia Pontificia, et Decreta Sacræ Congregationis Rituum, quæ afferuntur. — 44. Qui cum fama Sanctitatis obierunt, et nondum sunt Canonizati, nec Beatificati, possunt licite coli cultu privato, et non cultu publico. — 45. Circa cultum, et Venerationem talium Virorum fama Sanctitatis defunctorum, eorumque Imagines, Miracula, Revelationes, etc. Attendenda sunt duæ celeberrimæ Constitutiones Urbani VIII, ad id editæ. — 46. Affertur prima Constitutio. — 47. Affertur secunda Constitutio. — 48. Attendenda sunt insuper Decreta ad id edita de expresso mandato Urbani VIII, et edita jussu Innocentii XI. — 49. Affertur Decretum Sacræ Congregationis Rituum super immemorabili. — 50. Adducitur Decretum ejusdem Sacræ Congreg. servandum in recipiendis informationibus pro causis Beatificationum, et Canonizationum Servorum Dei. — 51. Circa Cultum, et Venerationem Reliquiarum Sanctorum, et Beatorum est idem ferme dicendum, ac de cultu, et Veneratione ipsorum Sanctorum, et Beatorum. — 52. Per Reliquias Sanctorum, et Beatorum quid intelligatur. — 53. Reliquiæ noviter inventæ, et productæ, ad hoc ut coli possint cultu publico, debent prius esse legitime recognitæ, et approbatæ. — 54. Reliquiæ tam Beatorum, quam Sanctorum de novo inventæ, non solum a Papa, sed etiam ab Episcopo recognosci, et approbari possunt. — 55. Immo Reliquiæ a Papa jam approbatæ, antequam exponantur, debent etiam ab Episcopo recognosci. — 56. Et hoc etiam pro Reliquiis exponendis in Ecclesiis Regularium. — 57. Episcopus pro approbandis Reliquiis noviter inventis, et Romæ nondum approbatis, debet adhibere Theologos, et pios viros. — 58. Et si aliquod circa id emerit grave dubium, nihil inconsulto Summo Pontifice novum, aut in Ecclesia hæctenus inusitatum est decernendum. — 59. Episcopus approbare non potest in ordine ad Cultum publicum Reliquias alicujus cum fama Sanctitatis defuncti, et nondum Canonizati, nec Beatificati. — 60. Cultu privato possunt coli Reliquiæ quæcumque, tam antiquæ, quam novæ, non solum Canonizatorum, et Beatificatorum, sed etiam cum fama Sanctitatis defunctorum, quamvis a nemine recognitæ, et approbatæ fuerint. — 61. Reliquiæ antiquæ habendæ sunt in ea veneratione, qua hæctenus fuerunt. — 62. Innuitur attendendum novissimum Edictum emanatum pro veneratione Reliquiarum. — 63. Reliquiæ non sunt incensandæ, nisi cum incensantur Oblata. — 64. Corpora Sanctorum, et insignes eorum Reliquiæ non possunt transferri de Civitate ad Civitatem, nec de Ecclesia ad Ecclesiam inconsulta Sede Apostolica. — 65. Item transferri non possunt de loco ad locum Corpora, neque Reliquiæ Beatorum nondum Canonizatorum, nec fieri potest mutatio capse, in qua eorum Ossa recondita sunt, nisi accedente Summi Pontificis, aut Sacræ Congregationis Rituum auctoritate. — 66. Item sine licentia Papæ, aut Sacræ Cong. Rit. transferri non possunt de loco ad locum Corpora Servorum Dei nondum Beatificatorum, nec Canonizato-

rum, in quorum Beatificationis, et Canonizationis causis Sedes Apostol. jam manum apposuit. — 67. Translatio autem Corporum Servorum Dei nondum Canonizatorum, nec Beatificatorum, in quorum causis Sedes Apostolica nondum manum apposuit, potest fieri de licentia Ordinarii. — 68. Reliquiæ Sanctorum vendi non possunt. — 69. Fortiva subtractio SS. Corporum, vel Reliquiarum, etiam devotionis causa facta, est peccatum Sacrilegii, nisi essent in locis infidelium condita. — 70. Reliquiæ in altare pro ejus consecratione locandæ debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. — 71. Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non possunt poni sub Altari. — 72. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuo ardere in Altari duo lumina. — 73. Reliquia Sancti ad hoc ut possit de eo recitari Officium, debet esse Insignis, et quæ sit talis Reliquia. — 74. Officium de Reliquia insigni celebrandum est solum in Ecclesia, ubi est Reliquia, quamvis sit Cathedralis. — 75. De Reliquia non insigni non licet celebrari Officium. — 76. De Sancto, cujus habetur Corpus, vel Insignis Reliquia, non potest fieri Officium, nisi constet de identitate, et nisi reperitur in Martyrologio Rom. Reliquiæ vero, si sint a locorum Ordinariis approbatæ, possunt exponi ad Fidelium venerationem. — 77. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis, vel Insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialiter concedatur a Sede Apostolica. — 78. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet Insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebrat eadem die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. — 79. In aliis Ecclesiis, ubi celebratur Officium, et Missa de Beatis, licet eorum Reliquias exponere, Imagines, et

(1. Pro Sancto aliquem venerari non licet sine licentia Papæ, etiamsi in vita fecisset miracula. *Communis*, textu expresso in cap. *Audivimus*, 1, de Reliquiis, et Veneratione Sanctorum ibi: « Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiamsi per eum Miracula fierent, non liceret vobis pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. »

(2. Sanctus igitur proprie, et stricte captus, et veneratione dignus est omnis, et solus ille, qui rite *Canonizatus*, id est per Pontificem *Albo*, seu numero, et Catalogo aliorum Sanctorum publice, solemniter, ac Canonice adscriptus tamquam Sanctus declaratus, et definitus est, addito statuto, ut ab omnibus pro tali habeatur atque colatur. *Sic in re Doctores communiter*.

(3. Item Beatus proprie, et stricte captus est omnis, et solus ille, qui ex speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel loco tamquam in Cælis existens cultu aliquo publico, v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Missæ, expositione publica ejusdem Reliquiarum ad normam concessionis Pontificiæ coli, et venerari potest. Ita *in re pariter Doctores communiter*.

(4. Cujusmodi, ut recentes tantum indicem, canonizatio fuit 16 Junii 1757. Sanctorum Vincentii de Paulo, Jo. Francisci Regis, Catharinæ Fliscæ Adornæ, et Julianæ de Falconeris a Clemente XII. Fidelis de Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, Catharinæ de Riccis 29. Junii 1746.

simulacra super Altari collocare. — 80. In Missis de Beatis non debet dici *Credo*, nisi adsit Reliquia. — 81. Reliquiam deferre in Processionibus pertinet ad Priorem Conventus, unde Reliquia sumitur. — 82. Reliquiæ non in Monasteriis Monialium, sed in exterioribus Ecclesiis asservari debent. — 83. Reliquiarum Sanctorum Patronorum Civitatis Clavis una concedi potest Magistratui Sæculari ejusdem Civitatis. — 84. Reliquia modica jam facta alienabilis alicui Ecclesiæ, vel Oratorio donari potest; Alias non posset alienari sine beneplacito Apostolico. — 85. Reliquias falsas exponere ad venerationem, est peccatum superstitionis. — 86. Reliquiæ, et Ossa Sanctorum radi non possunt, ut rasura detur cum potu Infirmis. — 87. Immo neque portari possunt ad ipsos Infirmos. — 88. In Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, non possunt exponi Reliquiæ. — 89. In Tabernaculo, ubi asservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ. — 90. Solemnitates novorum Beatorum, et Sanctorum a quibus prius, et quomodo peragendæ in Ordine Fratrum Minorum? ad n. 96. — 97. Alia ad rem, *Remissive*. — 98. ad 100. De nominibus Sanctorum impressis. — 101. 102. Alia de Cultu Sanctorum. — 103. 104. Ejus utilitas. — 105. Ejus antiquitas. — 106. Ante judicium Episcopi, nullus Martyribus decernebatur Cultus. — 107. Quoniam tempore post Martyrum Epochas cæteris Sanctis Cultus attributus. — 108. Ante judicium Ecclesiæ nullus Confessoribus Cultus unquam tributus. — 109. 110. De jure Cultus decernendi Sanctis. — 111. Quid Reliquiarum nomine intelligatur. — 112. Semper Sancto. Reliquiis cultus in Ecclesia impensus. — 113. Studium Ecclesiæ ne falsis Reliquiis cultus impenderetur.

(4. Unde Canonizatio proprie, et stricte sumpta est publicum Sedis Apostolicæ judicium, et expressa definitio de Sanctitate, et Gloria alicujus, qui solemniter Cæremoniis pompa Sanctorum Catalogo adscribitur, et publicæ totius Militantis Ecclesiæ venerationi proponitur, eique honores Sanctis debiti decernuntur. *Est in re Communis*.

(5. Beatificatio vero proprie, et stricte sumpta est legitima Pontificis concessio alicui certo Regno, Provinciæ, Religioni, vel loco facta, ut aliquis tamquam cum Christo in Cælis regnans Cultu aliquo publico, ut recitatione Divini Officii, Celebratione Missæ, expositione publica ejusdem Reliquiarum ad normam Pontificiæ concessionis venerari, ac invocari possit. *Est in re Communis*.

(6. Duplex est tam Canonizatio, quam Beatificatio, una scilicet formalis, et altera æquipollens. (7. Canonizatio formalis est illa, quæ expletur a Summo Pontifice servata forma judiciali, prolataque sententia cum omnibus consuetis Cæremoniis, seu solemnitatibus (1). (8. Canonizatio æquipollens est, cum Summus Pontifex aliquem Dei servum in antiqua cultus possessione existentem, fama Virtutum et Miraculorum ce-

a Benedicto XIV. et Joannis Cantis, Josephi Calasantii, Josephi a Cupertino, Hieronymo Miani, Seraphino ab Asculo, Joanna Francisca-Fremiot de Chantai 16. Julii 1767. a Clemente XIII. peracta. (*Edit. Barbiell.*)